

## Band IX., Nr. 3782, Seite 233-234

*König Rudolf gewährt der Stadt Saulgau auf ihre Bitte dieselben Freiheiten und Privilegien, wie sie Lindau hat, einen Wochenmarkt und drei Jahresmessen.*

Biberach, 1288. Oktober 15.

Rudolphus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri imperii Romani fidelibus presentes literas inspecturis gratiam suam et omne bonum. Humanorum actuum ratio moderatrix, quam honestatis obfirmat auctoritas, devotorum devotionem fidelium et oblationem servitiorum gratuitam condignis iudicat gratiarum muneribus compensandam, ut quo uberius gratie privilegiis fideles insigniri se sentiunt, eo amplius debeant in obsequiose devotionis promptitudine ceteris preclarere. Sane nos attendentes floride fidelitatis exennia, quibus prudentes viri cives oppidi in Sulgen fideles nostri dilecti erga nos et imperium indefessus claruerunt, suisque precibus benevolo concurrentes assensu ipsum oppidum Sulgen auctoritate regia libertamus et eidem oppido eadem libertatis iura concedimus, quibus imperatores et reges Romanorum predecessores nostri dive memorie novas munitiones consueverant libertare, volentes, ut cives predicti oppidi omnibus immunitatibus, gratiis, privilegiis, et honestis consuetudinibus quibus oppidum nostrum in Lindaw munitum gaudeant et utantur. Insuper nos collocato pre oculis rei publice bono statu in ipso oppido septimanale forum singulis feriis tertiis duximus indicendum. Indiximus etiam in ipso oppido trium temporum nundinas annuales, ita videlicet, ut in festo beati Joannis Baptiste prime, deinde feria quinta<sup>a</sup> proxima post Michaelis secunde et in festo beati Andree continuo sequentes<sup>b</sup> tertie nundine annis singulis celebrentur ibidem, volentes et presenti edicto mandantes, quod omnes et singuli, qui ad dictum forum vel ad nundinas prefatas pro emptionis et venditionis commercio exercendo confluerint, nostra et imperii protectione congaudeant et forensium privilegio libertatum. Preterea in augmentum amplioris gratie eisdem civibus indulgemus, quod suburbia eidem oppido annexa, que ad ipsius oppidi concinnas et excubias sunt astricta, eisdem immunitatibus gratiis privilegiis et honestis consuetudinibus, quibus ipsum oppidum est dotatum, equaliter perfruantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre libertationis infringere vel ei aliquo ausu

<sup>a</sup>Druck in Württembergische Jahrbücher für vaterländische Geschichte, Geographie und Topographie, Stuttgart 1822-63: *quarta*.

<sup>b</sup>Druck in Württembergische Jahrbücher für vaterländische Geschichte, Geographie und Topographie, Stuttgart 1822-63: *sequente*.

## II

temerario contraire. Quod qui fecerit, gravem nostre maiestatis offensam se noverit incursum. In cuius libertationis testimonium presentes litteras exinde conscribi et nostre maiestatis sigillo fecimus communiri. Testes huius rei sunt: illustris Albertus dux Austrie et Stirie, venerabilis Rudolphus Salzburger archiepiscopus, venerabilis Conradus Lavantii episcopus,<sup>c</sup> Henricus abbas Admontensis et magister Henricus de Clingenberc Xanctensis prepositus noster prothonotarius, Ludovicus comes de Hohenberg, Rudolphus comes de Werdenberg, Marquardus de Schellenberg, Eberhardus dapifer de Walpurg, Conradus senior et Henricus iunior pincerne de Winterstetten ac quam plures alii fide digni.

Datum apud Biberacum, idus Octobris, indictione secunda, anno domini millesimo ducesimo octuagesimo octavo, regni vero nostri anno sexto decimo.

—

Der Textabdruck erfolgt nach dem Rotulus inquisitionis von 1600 Mai 18, einer Handschrift in Innsbruck, Statthaltereiarhiv, cod. 76, S. 833.

Der Abdruck in Württembergische Jahrbücher für vaterländische Geschichte, Geographie und Topographie, Stuttgart 1822-63 (1827), S. 168, hat Abweichungen, von denen die wichtigeren in den Anmerkungen aufgeführt sind.

---

<sup>c</sup>Im Abdruck der Württembergischen Jahrbücher fehlt dieser Zeuge.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

Tiroler Landesarchiv Innsbruck

**Signatur/Titel des Originals:**

Hs. 76, S. 833-835

**Editionen:**

Württembergische Jahrbücher (1827), S. 168.

**Regesten:**

Regesta Imperii Abt. 6, Bd. 1, S. 477, Nr. 2196.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Biberach

**Ortsindex:**

Admont, Steiermark, Österreich  
Bad Saulgau Wohnplatz (21324)  
Biberach an der Riß Wohnplatz (17113)  
Biberach an der Riß, BC  
Hohenberg Wüstung (26307)  
Hohenberg, Schömberg, BL, W  
Klingenberg, Homburg, Kt. Thurgau, Schweiz  
Lindau, LI  
Saulgau, Bad Saulgau, SIG  
Schellenberg, Liechtenstein  
Waldburg Wohnplatz (20306)  
Waldburg, RV  
Werdenberg, Kt. St. Gallen, Schweiz

IV

Winterstettenstadt : Ingoldingen BC  
Winterstettenstadt Wohnplatz (17302)  
Xanten, WES